Fragmentarium

Ausculta o fili precepta magistri et inclina
aurem cordis tui · et admonitionem pii patris
libenter excipe · et efficaciter comple · ut ad eum
per obedientie laborem redeas · a quo per inobedientie
recesseras desidiam Ad te ergo nunc meus sermo
dirigitur · quisquis abrenuncians propriis voluntatibus
domino christo vero regi militaturus · obedientie
fortissima · atque preclara arma assumis In
primis ut quicquid agendum inchoas bonum · ab eo perfici
instantissima oratione deposcas · ut qui iam nos
in filiorum dignatus est numero computare non debeat ali
quando de malis actibus nostris contristari Ita enim ei
omni tempore de bonis suis in nobis parendum est · ut non
solum iratus pater non aliquando suos filios exheredet · sed
nec ut metuendus dominus irritatus malis nostris ut ne
quissimos servos perpetuam tradat ad penam · qui eum
sequi noluerint ad gloriam Exurgamus ergo tandem
aliquando excitante nos scriptura ac dicente Hora
est iam nos de sompno surgere · et apertis oculis
nostris ad deificum lumen · attonitis auribus audiamus

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, Cod. 3839, Cod3839_1r – Excidium Troiae
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-gw18/2784/31685)